

& iusto modo confectos continuò viis & canalibus aquarum substerneret?

Opinio com-
munior quàm
thermarum
calor actuali
igni tribui-
tur.
Vesuvius.

Æthna.

Ignis actualis
in terra
cavernis cõ-
firmatio.

Relictis ergo præcedentibus, tanquam remotioribus & minimè sufficientibus causis, opinio subsequentiū perpendenda venit, quâ causa calefactionis thermarum actuali cuidam igni terræ cavernis incluso tribuitur. Hoc olim *Vesuvius* in Campaniæ finibus mons unicus per intervalla ex hiatibus suis ignem evomendo comprobabat, licet multis ab hinc seculis incendii omnis expertus extiterit. Famosissimus adhuc hodie Siciliæ mons est *Æthna*, perpetuis quasi flammis corruscans, qui undiquaque (ut inquit *Baccius lib. 4. de Thermis cap. 4.*) ac longissimè ab Italia conspicuus, radices agit ad mediam Siciliam, pinguibus circum secus arvis, vinetis ac pascuis fœcundus, jugiterque pinetis ac fagis, altissimisque abietibus nemorosus: ad summum vero verticem, quâ salebra est totus, ac instabili cinere, pumiceque confragrosus in vastissimum dehiscit craterem, ob similitudinem ista voragine ab autoribus sic appellata, quæ ad supremam oram quatuor millia passuum exæquans subinde arduo introrsum clivo quasi in tartara usque sese coangustat, visu præcipitium horribile, quod etiam audacissimum quemque non parum commovere queat. Ardet insuper mons *Hecla* in Islandia, mons *Cophantus* in Scythia, nec non una Cycladum Insularum in *Ægeo* & alia loca plura. Ignem hunc actualem alibi cuniculos agere, terræque cavernis sese insinuare post *Aristotelem Seneca* quoque statuere videtur, dum inquit: ignes multis in locis terra opertos tegit & aquas calefaciendo in alterat, si subditi sint solo, per quam illarum incursum est. Quod etiam *libellus de mundo ad Alexandrum perscriptus* innuit, terram scilicet non tantum aquarum modo fontes habere in se, verum etiam spiritu & igne fœcundam esse, qui ex aditis

ter-